

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

**§. X.**

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](#)

ista enim cum eiusmodi hominibus ei res erat, qui variis occupati erroribus, de lege & euangelio a doctoribus suis male instituti erant. Recetum itaque de euangelio sensum iis inculcare allaborabat. Ideo per tot capita, hanc tractat materiam, a cap. II com. 12. ad V. in vna serie, & cap. V. inserit accidentalia nonnulla, quae euangelium comitantur, quo crux Christianorum pertinet. Sub finem huius capituli epilogum, totam doctrinam summatim complectentem, annexit; tandemque cap. VI. & VII. usum in praxi vitae ostendit. Haec vero iam allata verba, theses instar cuiusdam sunt, quam deinceps Paulus explicat ulterius. Meum igitur erit, sensum eiusdem pluribus indagare.

§. X. Ut igitur ab uno rem exordiar, Paulus celebrat Deum coelestem Patrem, quod apostolorum ministerio, agnitus Iesu Christi tanquam odor bonus, undique manifestatus sit, inter gentes. Hinc ipsorum ministerium, quod euangelium de Christo administrat, Deo gratum, acceptumque esse, persuasum habet, quanquam omnibus ac singulis mortali bus, ipsorummet culpa, non in salutem vergat; nihilominus tamen Deum, iis, qui de filio suo eu-

euangelium annunciant, ipsorumque ministerio  
 delectari credit. Se ipsum hic sicut apostolus,  
 cum Timotheo suo, quos huius in epistolae  
 inscriptione, coniunctim nominatos inuenimus,  
 omnes, qui eodem rite fungantur officio, vna  
 comprehendens, tanquam subiectum illud, de  
 quo asserit, quod D E O sit *euādīa bonus odor*  
*Christi: euādīa ēσμēv* inquit. Personam ipso-  
 rum non solum, sed etiam ministerium, quod  
 obibant, per quod euangelium Christi homi-  
 nibus, mysterium mundo absconditum, trade-  
 bant, intelligit. Afferit ergo tum de se, quem  
 expresse indigitat, cum reliquis apostolis, tum  
 de euangelio, eiusque ministerio, quod Deus  
 iis vtatur, tanquam thymiamate, vel odora-  
 mento, vt odorem spargant salutarem, euan-  
 gelii annunciatione, in toto orbe. Et quid inde,  
 colligitur aliud, quam quod Deus delectetur  
 iis, tanquam sacrificio suaveolenti vel fragran-  
 tissimo incenso in thuribulis, vel vnguento fra-  
 granti, respiciens Christum, filium suum *άγα-*  
*πητὸν*, in quo vnice acquiescit, & qui efficit,  
 vt homines sub ira potentissimi Numinis con-  
 stituti, nunc iterum eidem sint accepti. Ecquid  
 est, quod Deo Patri suauius, gratius vel acce-  
 ptius

ptius dici ac cogitari possit , quam vt verbum euangelii de filio suo dilectissimo , ad totum genus humanum pertingat , ac agnitione exinde deriuanda , ad omnes propagetur gentes , vt miserrimi peccatores , cum Deo reconciliati salutem aeternam consequantur .

§. XI. Hunc Spiritum S. his verbis intendisse sensum , nullum est dubium ; rem vero omnem liquido edocebit textus *συνάρτεσις* , si quae eum antecedunt , & consequuntur , considerauerimus . Antecedentia enim quando attendimus , deprehendimus , apostolum *com. 12.* exordiri ministerii sui apologiam , dum fuisius enarrat , quem fructum & effectum euangeliū , quod in Asia praedicauerat , habuerit . Hoc feliciter ac salutariter administrati muneris tropaeum esse , & monumentum longe splendifissimum , agnoscit , quo re ipsa deprehendant , suos labores non irritos fuisse . Ideo subsequenti *com. 14.* gratias Deo persoluit , quod per gratiam ipsius , omnia omni tempore obstatula & impedimenta , quibuscum colluctandum fuisset superauerit , adeo , vt agnitione Summi Numinis , & Iesu Christi , mediatoris Deum inter & homines , sit tanquam bonus odor , sua opera